



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Disputatio XL. De essentia sacramenti Extremæ vnctionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

sunt omnia, quæ in presenti diximus. Nec posterior coniectura Bonaventuræ contra hoc vrgit (prior enim iam reiecta est) tum quia satis fuit consummata gloria Christi post resurrectionem etiam ante ascensionem: tum etiam, quia oportuit ut priusquam Christus ad gloriam condescenderet, & nos institueret, & media institueret, per quos nos ad ascendendum illum illo disponeremur.

DISPUTATIO XL.

De Essentia sacramenti Extreme unctionis.

HX dictis in superiori disputatione sumere possumus, huic sacramento essentialia esse illa omnia, quæ communia sunt sacramentis nouæ legis: atque illud præcipue consistere hoc sacramentum materia, & forma sensibili, ex quibus constituitur unum integrum signum gratiæ. In hac ergo disputatione explicabimus materiam, & formam huius sacramenti, in sequenti vero declarando effectum eius, consequenter exponemus quam gratiam significet, & ita erit explicata tota essentia huius sacramenti, tam quoad rem, seu ceremoniam impositam ad significandum, quam quoad relationem, seu significationem ipsam, quæ sine re significata plene intelligi non potest.

SECTIO I.

Vtrum materia remota huius sacramenti sit oleum oliuarum ab Episcopo consecratum, seu benedictum.

Pincipio certum est apud Catholicos, materiam remotam huius sacramenti esse oleum, nam expresso nomine illam designat Iacobus dicens, *Vngentes eum oleo*. Hinc secundo etiam est de fide, oleum hoc debere esse oliuarum, ut declarauit Concilium Florentinum in Decreto Eugenij, dicens materiam esse, *oleum oliuæ*, quod etiam ex vi verborum Iacobi desumptum est. Nam oleum simpliciter dictum, liquor em illum significat, qui ex oliuarum bacis exprimitur, quam significationem habet non solum ex Latinorum vsu, sed etiam in Scriptura sacra, & in communi modo loquendi. quapropter, sicut aqua baptismi intelligitur esse aqua naturalis, & materia Eucharistiæ panis triticus, ex vi & proprietate verborum, *Aqua & panis*, simpliciter sumptorum: ita in presenti ex vi vocis *oleum*, intelligimus hoc debere esse oleum oliuæ: & hanc fuisse Christi institutionem, quæ est prima radix huius necessitatis. Ita ut nulla sit in Ecclesia potestas dispensandi, ut ex alia materia fiat hoc sacramentum, propter necessitatem vltimam, quia illa, quæ ex Christi institutione sunt essentialia, immutabilia sunt. Congruentia vero huius institutionis præcipue sumitur ex ordine ad significandos effectus huius sacramenti. Nam oleum ad leniendos corporis dolores proficere solet, sanitatem interdum restituit: hilaritatem affert, & luminis veluti pabulum esse solet. Hinc etiã oleum pinguedinem gratiæ & spiritus significare solet, ut notauit Gregor. lib. 4. in 1. Reg. 4. Et oliua ipsa solet esse pacis signaculum, ut attigit Tertul. li. de Corona militis. & notari solet ab interpretibus circa illud Genes. 8. *Venit ad eum ad vesperam, portans ramos oliuæ virentibus foliis*. Ob has ergo, & similes causas oleum aptissimum fuit ad declarandum quid virtute huius sacramenti Deus operetur, tam in animo, quam in corpore ægroti illud suscipientis: fuit ergo ex hoc capite materia hæc aptissima. Aliunde vero est satis communis materia, quæ facile vbique repe-

ritur, & ideo etiam tanquam necessaria & essentialis posita est, ut res esset stabilis & firma, nec propter raros euentus oportuit dispensationem admittere.

Tertio est etiam constans apud fideles, oleum hoc debere esse ab Episcopo benedictum. Et quidem hoc fit saltem de necessitate præcepti, indubitatum est, propter ea quæ statim subiiciam. An vero sit etiam de necessitate sacramenti, à nonnullis dubitatum est: sunt enim aliqui Catholici, qui affirmant simplex oleum sufficere ex Christi institutione, aliumque ritum benedicendi oleum esse accidentarium ex Ecclesiæ institutione, ideoque, si prætermittatur, etiã si peccaminose, validum nihilominus confici sacramentum: aliquando vero ex

Oleum debere esse ab Episcopo benedictum. opinio quorundam.

causa iusta, scilicet, necessitate vrgente sine culpa posse ita confici. Quam opinionem tenuisse videtur Victoria, ut patet ex eius Summa de sacramentis. num. 216. Fundamentum sumi potest ex Iacob. 5. vbi solum dicit, *ungentes eum oleo*: non enim dixit, *benedicto*, sed simpliciter, *oleo*: ergo tantum oleum simplex & naturale est essentialis materia. Similiter enim argumento colligimus, essentialem materiam baptismi esse simplicem aquam naturalem, non sanctificatam aut benedictam, quia Scriptura simpliciter aquam requirit, iuxta illud Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* &c. ergo similiter, &c. Nec refert quod Iacobus subiiciat, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, non enim dixit oleo benedicto, aut sanctificato in nomine Domini; sed vngentes oleo in nomine Domini, id est, unctionem ipsam debere fieri in nomine Domini: quod dici potuit, vel propter formam, quæ adhiberi solet supra talem unctionem, vel propter fidem & intentionem, cum qua debet fieri talis unctio, tanquam res à Christo instituta, in cuius virtute operatur est. Confirmari hoc potest primo, quia licet aliqua Concilia, vel decreta antiqua dicant, oleum debere esse consecratum, tamen non dicit expresse consecrationem illam esse de necessitate sacramenti, sed explicant consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ ex præcepto seruanda est. Confirmatur secundo, quia quæ sunt de substantia sacramenti, sunt à Christo Domino definita in particulari: sed nunquam Christus præscripsit aliquam olei benedictionem, nec à quo, vel quomodo facienda esset: ergo non est substantialis materia huius sacramenti.

Viã.

Iacob 5.

Act. 8.

Contraria sententia est communis Theologorum in 4. d. 23. vbi D. Thom. quæst. 1. ar. 2. q. 2. coniungendo 3. argumentum cum corpore articuli, & responsione: nam in corpore solum ait, oleum sanctificatum esse materiam; in primo vero argumento eum solutione constituit discrimen inter hoc sacramentum, & baptismum, quod in baptismo non est de necessitate sacramenti sanctificatio materiae, sicut in hoc: & rationem differentie sumit ex his, quæ in corpore articuli dixerat, scilicet; quia Christus suo vsu & tactu sanctificauit aquam, quæ est materia baptismi, & ideo non indiget alia præsanctificatione; Christus vero non ita sanctificauit suo tactu materiam huius sacramenti, & ideo de necessitate eius est ut benedicatur. Eandem doctrinam habet Bona. artic. 1. quæst. 3. Paludan. quæst. 1. art. 1. Durand. q. 2. Qui omnes dist. 7. idem dixerant de materia Confirmationis, de qua quoad hoc, eadem est ratio. In quo etiam Victoria non loquitur consequenter, nã de materia confirmationis recte senserat num. 42. eandem sententiam tenet Durandus libro primo, de Ritib. Eccl. capit. 20. numer. 20. vbi eam bene declarat. Denique Soto dist. 33. quæstion. 2. artic. 3. dicit, indubie hoc tenendum esse, nullam vero aliam probationem affert, nisi quia Ecclesia Romana ita sensit de hoc sacramento, quod non reputaret esse sacramentum, si ex oleo non benedicto fieret: Sed hoc est quod inquirimus, vnde constat ita sentire Ecclesiam.

Contraria sententia probatur. D. Thom.

Bona. artic. 1. quæst. 3. Palud. quæst. 1. art. 1. Durand. q. 2.

Soto.

Primo

Oleum oliuæ materiam remotam huius sacramenti.

Tertul.

Genes.

Trident.
Florent.

Iacob. i.
Conc. Vor.
Concilium
Aquisgran.

Beim.

Probatur
hac senten-
tia ratione.
Durand.
Palud.

Respondeatur
ad prae-
cipua fun-
damenta
prioris sen-
sentia.

Primo ergo & praecipue hoc suadent Concilium Florent. & Trident. Vtrumque enim dixit, materia esse oleum per Episcopum, seu ab Episcopo benedictum. Quando autem haec Concilia assignant materiam simpliciter sic dictam, tantum ea ponunt, quae sunt essentialia, vel substantialia, ut patet, tum ex absoluta appellatione, tum ex doctrina, quam de aliis sacramentis tradunt. Innocentius etiam primus, qui expressius quam ceteri Patres huius sacramenti mentionem fecisse videtur in dict. Epist. ad Decet. cap. 8. dicit, eos inungendos esse oleo sancto, ab Episcopo, quia in eo saluatio infirmorum creditur, scilicet, posita: quo verbo, maxime significatur necessitas huius benedictionis, seu sanctificationis olei. Hinc etiam Beda in Commentar. ad cap. 6. Marci ait, Ab ipsis Apostolis hunc Sanctae Ecclesiae morem esse traditum, ut agroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato. Nec vero dicit hanc fuisse Apostolorum institutionem, sed dicit ex ipsorum Apostolorum traditione durasse hunc morem in Ecclesia, tanquam res omnino necessaria, & a Christo instituta. Et super Epistolam Iacobi, videtur ad hanc significationem trahere verbum illud, In nomine Domini, ut scilicet, adiectum sit a Iacobo ad indicandum oleum debere esse in nomine Domini consecratum, seu benedictum, seu non quolibet oleo, sed illo, quod in Ecclesia destinatum est ad talem usum sacrum, esse infirmum vngendum.

Hae ergo veritas sufficienter nobis constat ex traditione, etiam si non sit in Scriptura euidenter expressa. De ratione autem seu congruentia talis institutionis multa disputant Durand. Paludan. & alij. 23. Nam Durandus impugnat congruentiam a D. Thoma traditam, & aliam ipse assert non sane probabilior. Verum tamen de hac re sufficienter dixi superiori tomo disp. 33. sect. 2. vbi similem questionem de materia Confirmationis disputavi, & fere omnia ibi adducta a simili confirmant praesentem sententiam, & eandem congruentiam in hac institutione esse ostendunt. Ac denique ratio illa generalis optima est, quia cum materia sacramenti eleuanda sit ad munus adeo sacrum, & supernaturale, per se maxime decet, ut consecrari seu benedici prius debeat, & ideo talis benedictio a Christo postulata est, vbi aliqua ratio specialis non obstat, ut in baptismo non est requisita, ut essentialis benedictio a qua propter illius sacramenti necessitatem: in Eucharistia vero non praerequiratur talis praecsecratio, quia ipsa sacramenti consecratio in materiae consecratione consistit: in confessione, & matrimonio, quia materia est omnino transiens, & consecrabilis non est, in ordine vero suo modo hoc seruatur, quia res ipsae, quae traduntur, factae sunt, ut suo loco dicemus. Clarius vero & expressius in hoc sacramento, & Confirmatione, quia illorum materia accommodatissima est, ipsa sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut oportuerit materiam omnino communem ad illa perficienda admittere: habent etiam specialem quandam rationem singularis sanctificationis, quatenus Confirmatio abundantiam spiritus significat, Vnctio vero extrema, puritatem, & quasi ultimam dispositionem ad introitum gloriae: & ideo merito sanctificata materia postulatur.

Atque ex his facile responsum est ad praecipuum fundamentum prioris sententiae. Fateor enim ex nuda Scripturae litera non colligi euidenter hanc necessitatem: nobis vero sufficit Ecclesiastica traditio, quae in hac re est adeo clara, ut mihi videatur ad minimum temerarium illi repugnare: eaque supposita, expositio illa verborum Iacobi probabilis est. Quibus autem Iacobus simpliciter locutus de oleo fuisse; Ecclesia a Christo per Apostolos edocta, po-

tuisset verum illius Scripturae sensum, & de quo oleo sermo esset, nobis aperire. Ideoque non est simile de baptismo, tum quia Ecclesia aliter intellexit testimonia, quae loquuntur de aqua baptismi: tum etiam quia in aliquibus, & praesertim in illo citato ex Actibus, circumstantia loci euidenter ostendit sermonem esse de aqua naturali tantum: tum denique quia diuersitas ipsa talis sacramenti, & finis eius haec differentiam ex parte materiae requirit. Simili etiam modo responsum est ad priorum confirmationem: nam ex multitudine testimoniorum, & ex modo quo Concilia loquuntur, satis colligitur ea loqui de hac benedictione, ut de re pertinente ad substantiam sacramenti. Cuius rei magnam signum est communis intelligentia sapientum, & perpetua, atque inuolabilis Ecclesiae consuetudo, cuius initium ignoratur.

In altera vero confirmatione petitur, qualis benedictio requiratur, & quid in hoc Christus praescriperit, quid vero addiderit Ecclesia. In quo primo cauenda censeo opinionem, quam ut probabilem assert palud. in 4. d. 7. qu. 4. numero 34 Christum non definitum esse positum (ut sic dicam) ut haec materia esset oleum benedictum: sed ut esset tale oleum, quale Ecclesia determinaret, ipsamque determinasse ut esset oleum benedictum, ideoque nunc esse de substantia, potuisse tamen Ecclesiam determinare ut oleum commune sufficeret, & tunc non fuisse futurum de substantia sacramenti. Hanc enim opinionem improbauit dict. disp. 33. superioris tomi, in materia Confirmationis, & ob easdem rationes in praesenti omnino displicet: tum quia hoc est plane dicere non esse simpliciter de essentia sacramenti, ut oleum sit benedictum, quia sine fundamento dicitur, etiam ex suppositione praeccepti Ecclesiae, eum ritum esse substantialiorem, qui ex sola Ecclesiae determinatione manauit: alias etiam posset quis dicere panem azymum esse de substantia, vel vinum aqua mistum, & similia: nam in omnibus sacramentis decet possumus materiam esse hanc, vel illam rem secundum hanc vel illam qualitatem, vel ritum, si Ecclesia illi determinauerit. Tum etiam quia iuxta illum dicti modum videmur non tribuere Christo immediate totum ritum substantialiorem huius sacramenti, quia benedictio est substantialis, & haec absolute & definire non est ex institutione Christi. Dico ergo, Christum sua institutione determinasse, ut materia esset oleum benedictum, nec potuisse Apostolos, vel Ecclesiam hunc ritum immutare. Et certe si a principio potuissent Apostoli illum ritum non praescribere, seu benedictionem non requirere, etiam nunc posset Ecclesia illum immutare: at hoc plane est contra communem eius sensum. Quin potius censeo, non solam abrogationem, verum nec dispensationem posse in hanc materiam cadere per Summi etiam Pontificis potestatem: quia in his que sunt de substantia sacramentorum, non potest Ecclesia dispesare: neque in hoc admitterenda est exceptio, nisi in his, quae ab ipsamet Ecclesia declarata sunt, ut eodem loco dixi, & statim in simili subiiciam.

Nihilominus tamen addo, hanc benedictionem olei non omnino fuisse a Christo Domino in particulari praescriptam: Duo tamen in ea distinguere oportet, scilicet, eum a quo danda est, & modum quo danda est. Quoad illud prius existimo esse a Christo Domino in particulari praescriptum quidquid Paludan. Durand. & alij sentiant, qui certe non consequenter loquuntur. Nam Concilia eodem modo dicunt, oleum ab Episcopo benedictum esse materiam: ergo totum hoc est de substantia talis materiae, & sacramenti: ergo totum est ex Christi institutione. Vtraque enim consequentia ex dictis probata relinquatur: & antecedens in terminis est Concilij Florentini, & Tridentini, & sumitur ex aliorum decre-

Qualis be-
nedictio.
quae sit.
Paludan.
sententia
reprobatur.

Christum
praecipit
oleum ad
Episcopo
dici.

his citatis. Et in dict. Disput. 33. idem dixi de materia Confirmationis ex eodem fundamento, quod ibi laus declaravi. Et vterius inde intuli per dispensationem Papæ non posse inferiori sacerdoti committi, vt Chrisma conficiat, eademque consecutione nunc infero, non posse committi eidem, vt oleum illud benedicat, quod futurum est materia huius sacramenti, quia in substantiali materia non cadit dispensatio, & Christus ex vi institutionis determinate postulavit oleum ab Episcopo benedictum. Nec est quod nos moueat vulgare exemplum de ministro Confirmationis, tum quia in illo habemus Ecclesie declarationem, non vero in hac materia: tum quia, propter illam declarationem, non dicunt Concilia absolute ministrum confirmationis esse Episcopum, sed cum addito, *Ordinarius ministrum*: hic autem non dicunt, *ordinariam materiam*, sed absolute materiam. Est hęc doctrina conformior ceteris Theologis supra citatis, præsertim Diui Thomæ dict. quæstione secunda & tertia, vbi congruentiam huius institutionis reddit, nimirum, vt ostendatur, virtutem CHRISTI, quæ in sacramentis operatur, ad inferiores ministros, quales sunt sacerdotes, per intermedios, vt sunt Episcopi, descendere. Quod morali modo, & secundum quandam analogiam intelligendum est, vt per se satis constat. Ratio vero magis moralis esse potuit, vt materia sacramenti minus esset vulgaris, in maiori que reuerentia haberetur. Itaque, vt hæc benedictio Episcopalis esset, à CHRISTO præscriptum fuit.

Modus autem eius non fuit definitus, vt omnes docent, & in simili de materia Confirmationis satis declaratum reliquimus. Vbi statim oritur dubium, ibi etiam tractatum, an modus benedictionis ab Ecclesia præscriptus, sit essentialis, nec ne, quod eodem modo definiendum est. Dico igitur, omne oleum, de quo vere dici possit esse ab Episcopo benedictum, esse sufficientem materiam: quia hanc solam Christus instituit, vt patet ex Concilio Florentino, & Trident. & fieri nullo modo potest, quin materia à Christo instituta sufficiat. Vnde, licet Episcopus mutaret modum benedictionis ab Ecclesia designatum, si tamen ea mutatione non obstante, vere & in re ipsa illud oleum benedictum maneret, esset materia sufficiens. Fortasse tamen fieri potest ab Ecclesia vt talis benedictio irrita sit, nec apud Deum habeat rationem consecrationis, sed execrationis potius: & hoc modo fieri etiam poterit, vt benedictio ab Ecclesia instituta, necessaria sit, quia ex ea pedit, vt Christi institutio impleatur, vt citato loco latius declaravi.

Vltimo circa hanc materiam declarandum occurrit, an sit de illius necessitate vt sit oleum simplex, id est, non mistum alio liquore. Aliqui enim Theologi ita sentiunt, præsertim Paludan. distinct. vigesima tertia quæstione prima articulo primo ait, debere esse oleum simplex, ita vt si miscetur balsamum, sit transgressio præcepti. Idem sentit Soto dist. articulo tercio, addens si tanta fieret mistio alterius liquoris, vt formam, id est, externam speciem olei tollat, non esse materiam: Ego vero in primis censeo, Chrisma, licet mistionem habeat balsami, esse sufficientem materiam, & per se non est contra Christi institutionem illa vt in hoc sacramento. Imo aliquando videtur Ecclesia vsa hac materia, etiam ad vngendum infirmos, idque sumit ex dict. Epistol. 1. Innocentij 1. vbi post allatum Iacobi testimonium, subdit, *Quod non est dubium de fidelibus egrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatibus perunguntur, quo ab Episcopo confecto Christiani vti possunt in sua, aut suorum necessitate inungendo.* Concilium etiam Vormaticense eodem modo ait, *sancto oleo Chrismatibus.* Et quod loquatur de proprio Chrismate, colligi potest ex illo verbo, *ab Episcopo confecto*, illud a-

nim participium, *Confectum*, mistionem aliquam & plusquam simplicem benedictionem significat. Fatur etiam Concilium Aquigran. iuncta Epistol. Fabiani 2. nam dictum Concilium ait, iuxta Apostolicam traditionem debere Episcopos feria quinta in Cæna Domini sanctum oleum conficere in quo *saluatio infirmorum creditur*. Vbi aperte loquitur de sancto oleo, quo dabatur hoc sacramentum: Fabianus autem, ad quem alludit Concilium, dum refert Apostolicam traditionem, docet ex Apostolorum traditione, Chrisma ex oleo & balsamo debere ab Episcopo per singulos annos in Cæna Domini consecrari. Et ex eisdem Patribus, & Conciliis constat, Chrisma simpliciter appellari, vereque dici posse oleum sanctum ab Episcopo benedictum. Quod etiam colligere licet ex Epistol. 70. Cypriani, vbi prius ait *neesse esse baptizatum, Chrismate inungi, & postea subdit Eucharistiam, & vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificari.* Ipsum igitur Chrisma oleum sanctificatum est. Et eodem modo appellatur à Dionysio capit. 3. de Eccl. Hierarch. *sacrum Vnctionis Dionys. oleum.* Cum ergo habeamus ex Conciliis, oleum ab Episcopo benedictum, esse materiam huius sacramenti, & Chrisma sit oleum sanctificatum ab Episcopo, non est dubitandum esse sufficientem materiam.

Verum est, interdum omne oleum sanctificatum solere Chrisma appellari, & in Ponticali Romano oleum infirmorum, in sua benedictione ita vocatur, quomodo possit aliqua ex testimoniis adductis exponi: nihilominus tamè existimo, seclusa Ecclesie prohibitione, nullam peccatum esse vt Chrismate proprio ad hoc sacramentum perficiendum, & præsertim si aliud oleum simplex, & sanctificatum deesse. Per se tamen verum est, ad hoc sacramentum conficiendum sufficere simplex oleum benedictum, & in hoc differre à Confirmatione, in qua necessaria est Chrisma confectum ex balsamo, & oleo, vt suo loco diximus. Et hoc probat testimonium Iacobi, adiunctis Conciliis: simpliciter enim de oleo loquuntur, non est ergo necessaria mistio balsami. Et rationem differentie tradit Aluiscodor. libro 4. Summæ tractat. 7. quia balsamum significat bonum famæ odorem, quem viuientes tenentur per bona opera, & exempla dare, de quo admonentur fideles quando confirmantur: his vero, qui iam morti appropinquant, solum curandum est de bona conscientia, quam oleum significat, ac propterea ex institutione simplex oleum traditum est.

Propter quæ addendum est, propria auctoritate non licere illi aliquid miscere, absolute, & sine causa, vt constat ex doctrina communi de sacramentis. Verum item est, si tanta esset mistio, vt corrumpere olei natura, imo etiam, si communem vsum, & appellationem olei amitteret, ita vt licet non esset oleum substantialiter transmutatum, tamè ita esset iam commistum & condensatum, vt non oleum, sed mistum aliquod artificiale, seu vnguentum censeretur illud non fore materiam sufficientem: quia hæc est oleum simpliciter & vsuale. At vero, si oleum maneat in vera natura, specie, & vsu olei, non repugnare institutioni, quod ex ordinatione Ecclesie sanctificaretur cum parua aliqua mistione alicuius liquoris, sicut vino consecrando miscetur aqua, & aquæ baptisimi parum salis: & hæc ratione dicebatur, Chrisma posse sufficere, & aliquando fortasse fuisse in vsu. Nunc autem quando Ecclesia has materias, earumque benedictiones distinxit, non esset licitum eas commutare, nec alio oleo in hoc sacramento vti, præterquam illo quod ad hoc munus ex Ecclesie institutione consecratur.

()

Cō. Aquigran. Fabianus 2.

Cypri.

Dionys.

Obiect. occurritur.

Sufficere simplex oleum.

Aluiscod.

D. Tho.

Modi benedictionis non sit à Christo præscriptus. An modus præscriptus ab Ecclesia sit essentialis.

An sit necessarium vt sit oleum simplex.

Inno. 1.

Con. Vor.



SECTIO II.

*An vnctio ex oleo, ab Episcopo benedicto,
sit proxima materia huius sacra-
menti.*

*D Thob.
Antiqua
sententia
olei bene-
dictum esse
sacramen-
ti reuocatur.*

Refertur D. Thom. Bonauent. & alij in 4. dist. 23. fuisse antiquam sententiam asserentem, sacramentum hoc esse ipsum oleum ab Episcopo benedictum, vnctionem autem eius tantum esse vsum sacramenti iam confecti. Hanc vero sententiam merito vt improbabilem reuocant: quia nullum sacramentum consistit in facto esse, aut habere esse permanente, nisi Eucharistia, vt ex doctrina de sacramentis in genere constat. Cuius ratio est: quia per consecrationem Eucharistiae ipse auctor gratiae sub speciebus efficitur, & significatur, per benedictionem autem olei nulla gratia significatur, neque datur: vnde illa sacramentale quoddam est, non sacramentum. Alias, forma essentialis huius sacramenti non esset quae vfu, & vnctione, sed esset oratio illa quam Episcopus dicit cum oleum benedicit: & consequenter minister proprius huius sacramenti non esset Presbyter, sed Episcopus: quia ad illum solum pertinet olei benedictio. Ac denique si sacramentum ipsum iam esset confectum, non esset de essentia applicationis eius, quod fieret a sacerdote, vt in Eucharistia videre licet: haec autem omnia sunt absurda, & contra veram doctrinam de hoc sacramento, vt ex dicendis constabit. Sit ergo certum, sacramentum hoc consistere in ipso vfu, & olei benedictionem solum esse quandam materiam preparationem, seu confectioem.

*2
Materia
proxima
esse vnctio-
nem.
Trident.*

Ex quo concluditur, materiam proximam huius sacramenti esse vnctionem ex oleo factam: quod optime probat verbum Iacobi, *Vngentes eum oleo*, & verba Tridentini sessione decima quarta, capite primo de hoc sacramento dicentis, *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam vnctio aptissime Spiritus sancti gratiam, quia inuisibiliter agrotantis anima inungitur, representat.* Ex illa enim causali nota, Nam, intelligo Concilium ostendere oleum esse materiam, quia vnctio est ipsum sacramentum, vtique quoad materiam proximam illius: statim enim formam subiungit, de qua postea. Quod vero vnctio sit ipsum sacramentum, probat optimè Concilium ex significatione: illud enim est sacramentum, quod est efficax signum gratiae: huiusmodi autem est illa vnctio. Praeterea hoc sequitur necessario ex refutatione opinionis praedictae: nam hoc sacramentum non consistit in ipsa materia permanente, sed in vfu: ergo materia permanens est tantum remota: proxima ergo est vfu illius materiae, qui non est nisi vnctio. Tandem idem probari potest à simili de baptismo: quod enim ibi est ablutio, hic est vnctio, idemque est de sacramento Confirmationis: videri ergo possunt dicta de illis sacramentis, & hic applicari.

Qualis, & quanta esse debeat haec vnctio,

*3
An oportet
ferri in signu
crucis.*

Explicandum vero superest, qualis, & quanta esse debeat haec vnctio. Nam quoad qualitatem interrogari potest, an oporteat fieri vnctionem in figura Crucis: id enim significauit Glossa in ca. *Nupquid*, de Consecrat. dist. 5. & vfu etiam idem confirmat. Dicendum vero est, hoc non esse de necessitate huius sacramenti: quod est certissimum. Nec illa Glossa dixit contrarium, sed potius hoc etiam sentit, si integre legatur. Et eodem modo intelligendus est Syluester verbo, *Vnctio extrema*, quaestio. secunda. Quia oppositum, neque in loco Iacobi, neque in Conciliis, aut traditione fundamentum habet: non

A est autem aliquid addendum substantiae sacramenti sine aliquo huiusmodi fundamento. Primum patet: quia Iacobus simpliciter dixit, *Vngentes eum oleo*, modum autem, vel signum vnctionis non definiuit. Concilia etiam de hoc nihil dicunt. Quin potius Concilium Florentinum solum indicat vnctionem per modum Crucis esse necessariam in Confirmatione, quia in forma illius sacramenti exprimitur: dum dicitur, *Signo te signo Crucis*: at hic nihil huiusmodi interuenit, nisi in forma simpliciter dicitur, *Per istam sanctam vnctionem*. Potestque reddi congrua differentia inter Vtrumque sacramentum: quia in Confirmatione vngitur quis, vt Christi miles ad portandam, & confitentem eius Crucem coram Regibus & Tyrannis: per hanc vero vnctionem solum vngitur per modum medicinae ad recuperandam salutem. Vnde vltimus addo, non videri hoc signum esse de necessitate praeccepti, saltem sub culpa graui, secluso contemptu, aut scandalo: quia nullum est expressum praecceptum de hac re: & de consuetudine non constat sub hac ex estimatione esse introductam: & praeterea materia ex se non est grauis. Quare si ex iusta causa omittatur, vt breuius, vel securius agatur, nullum erit peccatum: regulariter vero id magis pius est, id eo quod debet feruari, ac fieri. Vide Ledem. 2. part. 4. quaestio. 21. articulo octauo.

Circa vnctionis vero quantitatem in primis Concilium Florentinum numerat septem vnctiones, quibus perficiendum est hoc sacramentum, scilicet, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum & locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Hic ergo numerus vnctionum dici potest veluti discretam quantitatem huius materiae. De singulis vero vnctionibus inquiri potest quantam esse oporteat vnamquamque, seu cuius magnitudinis: in hoc vero immorari non est necesse, quilibet enim sufficit, etiam si minima sit, dummodo veram rationem vnctionis attingat, iuxta communem loquendi morem. Non enim erit satis vnicam guttam olei stillare, quia id vel non est vngere, vel certe est res aliquo modo dubia, sed oportet partem corporis oleo linere, & aliquid per illam diffundendo: hoc enim est proprie & in rigore vngere.

D Hinc vero obiter colligo non esse absolute de essentia huius sacramenti in vnctionibus singulorum sensum duplicem facere vnctionem, vt g. duorum oculorum, aut duorum aurium, &c. Quoniam enim communiter fiat, & regulariter, ac seclusa necessitate, ita faciendum sit propter consuetudinem Ecclesiae: tamen non est de essentia, quia in vna parte sufficienter significatur vnctio talis sensus, licet virtus eius in pluribus partibus vigeat: & ideo si ob necessitatem in vnoquoque sensu vna tantum fiat vnctio, & verum fiet sacramentum, & nihil peccabitur.

E At vero de numero vnctionum posito à Concilio Florentino, dubitari potest, licet de necessitate praeccepti, vel sacramenti. Nam quod non omnes sint necessariae etiam ex praeccepto, nedum essentialiter, ex eo euidenter euincitur, quod plerumque duae earum omittuntur, scilicet pedum, & renum, praesertim in foeminis propter honestatem. Imo licet sint in communi vfu Romanae Ecclesiae, vt est particularis Ecclesiae non verò sunt in vfu omnium Ecclesiarum, atque adeo nec vniuersalis Ecclesiae: vt omnes auctores referunt quos statim infinuabo. Qui consequenter de his duabus vnctionibus fatentur, non esse necessariae, imo de vnctione renum aliqui censent conuenientius esse illam omittere: vt supplem. Gabr. dist. 3. q. 1. art. 2. Soto. q. 2. art. 3. Victorio in Summ. num. 223.

Hinc

7. *Babium*

Hinc verò colligi videtur de nulla aliarum vnctio- num posse certò constare esse simpliciter necessa- riam, multoq; minus de toto número earum, quia Concilium Florentinum omnes æquè numerat: ergo, si aliquas excipimus, quantum est ex auctori- tate Concilij non possumus de aliqua aliarum affir- mare esse necessariã simpliciter. Huc accedit, quòd Iacobus solum dixit, *Infirmatur quis in vobis, vocet presbyteros Ecclesie & vngant eum oleo*, in quibus ver- bis sufficienter explicatur materia huius sacramen- ti, vt Concilium Tridentinum significauit, sed ad veritatem & complementum horum verborum non est necessaria multiplex vnctio, sed vna sufficit, sicut ex vi verborum Christi, *Baptizantes eos, &c.* vna aspersio vel ablutio sufficit. Quod si quis dicat, tradi- tionem declaratum esse, illam vnctionem debere esse multiplicem, & in talibus partibus corporis: cõ- tra hoc est: tum quia diximus, traditionem hanc nõ esse vniformem, & eandem in omnibus, ideoque non indicare essentialiam materiam, sed ad sum- mum cæremoniam aliquam Ecclesiasticam: tum quia aliqua etiam fuit traditio, vel multarum Ec- clesiarum consuetudo, baptizandi per trinam mer- sionem, ex qua solum potuit inferri, alicubi, vel a- liquando id fuisse præceptum, non tamen esse de necessitate materiæ: idem ergo in præsentì dici po- terit.

8. *aliquorum opinio suffi- uer vnctioem vnctionem.*

D. Tho. D. ma. Durand. 200.

Propter hæc vnus vel alius modernus dicere au- si sunt non esse de necessitate huius sacramenti, vt per plures actiones fiat, neque in determinata parte corporis, sed vnica vnctionem sufficere, quan- tum spectat ad valorem sacramenti. Antiqui verò Scholastici in 4. d. 24. sentiunt plures vnctiones esse de essentia, & valore huius sacramenti, saltem quin- que illas, quibus quinq; sensus inunguntur. D. Th. q. 2. ar. 3. q. 2. Durand. q. 4. Bonau. Rich. Palud. Maior. Supplem. Gabr. Soro. & Summistæ, quanuis non om- nes distinctè loquantur de necessitate sacramen- ti, sed absolute. Iuxta quã doctrinam omnino cer- tum existimo has quinque vnctiones quinque sen- suum esse de necessitate præcepti: hoc enim vt mi- nimum conuincit vniuersalis Ecclesie consuetudo, à qua discordare grane crimen est: præsertim in re, quæ facile redundare potest in dubium de valore sacramenti. Ratio, seu congruentia, quam D. Tho. suprà adducit, est optima: quia hoc sacramentum adhibetur, vt medicina ad fordes, seu reliquias pec- catorum tollendas, & ibi adhibetur vbi est radix peccatorum: hæc autem radix est in quinque sensibus: meritò ergo in illis partibus applicatur medi- cina. An verò hæc necessitas sit tanta, vt sit etiã sub- stantialis, vel essentialis, non caret aliqua difficulta- te, pendet tamen ex his, quæ de forma, & effectu, ac subiecto huius sacramenti dicturi sumus: & ideo il- lam paulatim in sequentibus disputationibus ex- pediemus.

9. *Ordinem vn- ctionum non esse de essen- tia sacramen- ti.*

Illud verò nunc pro certo habeatur ordinem ta- limum vnctionum non esse de essentia sacramenti: scilicet, vt prius vngantur oculi, postea aures, &c. licet enim hic ordo seruandus sit: quia, & est rebus ip- sis consentaneus, & maximè quia ita habet Eccle- siæ consuetudo, quæ sine aliquo peccato non potest omitti: non est tamen absolute de essentia, nec illa immutatio esset contra valorem sacramenti, vt om- nes Doctores supponere videntur: quia materia essentialis non est relatio, aut ordo, sed vnctio, quã- uis autem mutetur ordo, seruatur tota vnctio es- sentialis: ergo.

SECTIO III.

Quæ sit legitima huius sacramenti forma.

10. *quam*

Principio statuendum est, aliquam verborum formam esse de essentia huius sacramenti. In Fr. Suarez, tom. 4.

A hoc nulla est controuersia inter Catholicos, sed cum solis hæreticis, contra quos sufficiunt nobis definiti- ones Conciliorum Florentini, & Tridentini, & quæ in superiori tomo de sacramentis in genere dixim⁹. Ex quibus etiam est certum, aliquam verborum for- mam esse determinatam iure diuino, atque ita es- sentialiam huic sacramento, vt sine illa confici nullo modo possit: hoc enim generale est omnibus sacra- mentis nouæ legis, & in particulari significant dicta Concilia de hoc sacramento, & ex dictis de illius in- stituitio colligitur: si enim Christus Dominus nõ præscripsisset certam verborum formam, non ple- nè, nec definitè instituisset essentialiam ritum huius sacramenti, sicut in simili de materia dicebamus. B Quocirca cum aliqui Catholici dicunt posse Ecce- liam mutare formam huius sacramenti, vt Victoria in Summ. sacram. num. 201. & Nauar. in Sum. c. 22. n. 13. sano modo intelligendi sunt, videlicet posse Ecclesiam mutare, aut materialia verba, seruato eo- dem legitimo sensu, aut aliqua verba, quæ non sunt de substantia: sed ad ritum accidentalem pertinent, vt videbimus.

verborum for- mam esse de es- sentia huius sacra- menti.

Vit. Nauar.

Obiecti

Obiici verò potest: quia forma huius sacramenti solum colligitur ex illis verbis Iacobi, c. 5. *Et orant super eum*, vt significarunt prædicta Concilia dicentia, Iacobum in illis verbis, *Vngant eum, & orant, &c.* ma- teriam & formam indicasse huius sacramenti. Quod etiam declarauit idem Iacobus subdens, *Et oratio si- dei alleuiabit infirmum*, vbi prædictæ orationi tribuit, seu promittit effectum sacramenti: constat autem effectum maximè procedere à forma: ergo iuxta, p- mulgationem Iacobi, sola oratio presbyteri sufficit ex Christi institutione ad effectum huius sacramen- ti: at vero oratio non dicit aliquam determinatam formam verborum, imo in rigore nec verba requi- rit: ergo. Et confirmatur ex varietate formarum, quæ in Ecclesia fuit in vsu huius sacramenti. Nam tem- pore D. Ambrosij in Ecclesia Mediolanensi hæc for- ma erat in vsu, *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt more militis vncti prepara- tus ad certamen, aereas possis superare potestates*. Ita refert Bonau. dist. 23. p. 1. artic. 1. quæst. 4. & alij ibi. Simi- lemque formam refert ibi Palac. ex li. sacramentali Venetorum approbato, vt ibi dicitur, à Leone X. *Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus, fortiter sta- re valeas aduersus aereas cateruas, in nomine Patris, & Fi- lij, & Spiritus sancti*. Ecclesia autem Romana vtitur illa forma, *Per hanc sacram vnctionem, & suam piissimã miserericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per ritum, &c.* vt patet ex dictis Concilijs, & ex vsu: ergo signum est, hanc formam non habere determinati- onem ex diuino iure.

Bonau. Palac. Leo. X.

Forma qua vtitur Ec- clesia Ro- mana.

Solutio.

Sed quod attinet ad Iacobum dicendum est ipsum in primis loqui de oratione sensibili, per vocem ex- pressa, ita enim intellexit Ecclesia, & fuitur ex cir- cumstantia literæ: nam Iacobus loquitur de ora- tione faciendâ super vnctione infirmi, & ad conso- lationem & leuamen eius: ergo loquitur de oratio- ne sensibili, quæ fit per verba sensibilia. Rursus, quã- uis Iacobus non declaret modum orationis, tamen etiam ex subiecta materia, & eadem Ecclesie tradi- tione constat, cum loqui de oratione sacramentali, atq; adeo quæ certo ritu, & ad sacramentalem signi- ficationem accommodata sit: non est enim necesse vt omnia in Scriptura distinctè explicentur, sed suf- ficit vt insinuentur, & ab Ecclesia declarentur: sicut in alijs sacramentis perspicuum est. De illis autem varijs formis dicendum est, eam, quam Ecclesia re- tinet, continere substantialem formam huius sa- cramenti, vt aperte definiunt dicta Concilia: & su- mitur ex c. ad abolendam, de hæret. cõ. similibus. Quia Ecclesia Romana in ritibus sacramentorum errare non potest. Vnde oēs aliæ formæ vel reducendæ sũt ad formam Ecclesie Romanæ quoad substantialem sensum.

senfum, vel aliquid eis addendum est, seu additum A
semper fuisse credendum est, quo prædictus sub-
stantialis sensus perficeretur, vt magis in sequenti-
bus explicabitur.

*Explicantur singula particula formæ, quæ vñtur
Ecclesia Romana.*

*4
An forma
debeat pro-
ferri per mo-
dum depre-
catium, an
indicatiui*

Supereff vt per singulas particulas dictæ Roma-
næ formæ discurrendo, videamus in quibus præ-
cisè consistat huius formæ essentia. Et in primis an
sit de essentia huius formæ, vt per modum depre-
catium proferatur, vel sufficiat modus indicati-
uus. Hoc enim posterius suadet primo formæ illæ,
Ambrosiana, & Venetica, quæ dantur per illud ver-
bum, *Vngote*, quod indicatiui modi est: nec additur
aliud deprecatium: neque est verisimile aliquid
substantiale in illis formis fuisse omisum. Secundo
idem suadet à simili: Nam ex illis verbis, *Bap-
tizantes eos*, colligit Ecclesia illam formam. Ego te *Bap-
tizo*, & ex illis, *Quorum remisit peccata*, &c. illam,
Ego te *absoluo*: Ergo ex illis, *ungentes eum*, optime et-
iam hanc formam vt sufficientem, Ego te *ungo*, &c.
Tertio, in Confirmatione modus indicatiuus est
sufficiens, *Christus*, &c. Cur ergo non etiam in Ex-
tremæ vñtionis? Quarto sacramentalis forma, et-
iam si per modum indicatiui proferatur, solet à san-
ctis Patribus oratio vocari, sicut in superioribus vi-
sum est de absolutione sacramentali, quam Leo
Papa, & alij orationem sacerdotis, appellant: ergo pari
ratione in præsentis, quantum forma proferatur per
modum indicatiui, erit sufficiens ad verificandum
verbum Iacobi, *Et orant super eum*.

*5
Opinio quo-
rundam
Theologoru
Alber.
Rich.
Palud.
Durand.*

Propter hæc multis Theologis visum est non esse
de essentia huius formæ, vt per modum depreca-
tionis proferatur. Ita sentit Alber. in 4. d. 23. ar. 4. Ri-
char. art. 1. q. 4. ad 2. Palud. q. 1. art. 2. Imo Dur. q. 3. n.
7. videtur reuocare in dubium an forma depreca-
tiua sit sufficiens: quia forma indicatiua, & depreca-
tiua non sunt æquivalentes quoad sensum, vt con-
stat ex propria significatione verborum, & ex aliis
formis, baptisimi, confirmationis, & penitentia, in
quibus deprecatia nõ sufficit: quia indicatiua est ne-
cessaria, cui non æquivaler deprecatia: ergo etiam in
præsentis non possunt illæ duæ formæ esse sufficien-
tes, sed alterutra tantum. Non possumus autem ne-
gare, vt Durandus significat, quin forma indicatiua
sufficiat, cum Ambrosius, qui fuit vnus ex primari-
is Doctoribus, illa vsus fuerit, suæq; Ecclesiæ reddi-
derit: ergo illa sola est legitima forma.

*6
De fide esse
formam
deprecatia
sufficere.*

Nihilominus certissimum est, ac de fide formam
deprecatiam esse sufficientem: ita enim plane de-
finit Concilium Floren. & Trident. fuitque sem-
per communis Scholasticorum sententia, fundatur-
que sufficienter in traditione Ecclesiæ Romanæ,
quam impossibile est decipi, in his præsertim, quæ
pertinent ad substantiam sacramentorum, vt dicitur
in cap. *Ad abolendam*, de Hæret. constat autem
vniuersalem Ecclesiam vti formam tantum depreca-
tiua: ergo vt minimum certum est illam esse sufficien-
tem: cuius consuetudinis nullum initium cog-
noscitur, sed ab initio Ecclesiæ tradita est, quæ tra-
ditio ita etiam declarat verba Iacobi, *Et orant super
eum*, quæ illi omni proprietate deprecationis signi-
ficant.

*7
Solum indi-
catium
verbum sine
forma depre-
catia non
sufficere.
D. Thom.
Bonau.*

Ex quo vterius probabilius videtur, ita esse ne-
cessariam hanc formam, vt solum indicatiuũ ver-
bum sine formali deprecatione non sufficiat. Ita
sentit D. Thom. in 4. d. 23. q. 1. art. 4. q. 2. & Bonau. ar.
1. q. 4. Capreol. Soto, & alij: & fauent multum
Concilium Floren. & Trident. Et patet retorquen-
do rationem factam in proximo puncto. Nam duæ
formæ non possunt esse per se, & sigillatim sufficien-
tes ad constitutionem huius sacramenti, nisi sint æ-

quivalentes in sensu: si ergo forma deprecatia suf-
ficiens est, indicatiua sola non sufficit: quia non ha-
bet æquivalentem sensum, vt rectè ostensum est,
& patebit amplius, ex solutionibus argumeto-
rum.

Ad primum ergo responderetur in primis, maiore
esse auctoritatem Ecclesiæ Romanæ & vniuersalis,
quàm cuiuscunque particularis, & ideo veritas, seu
necessitas substantialis formæ potius ex vsu Eccle-
siæ Romanæ, quàm cuiuscunque alterius sumenda
est: neque Ecclesia Romana est cæteris accommo-
danda, sed è conuerso. Vnde dicitur secundo ex D.
Thom. supra ad 5. *Verba illa indicatiui modi, quæ sunt
in vsu aliquarum Ecclesiarum, non esse formam vniuersalis
sacramenti, sed esse ceremoniam quandam, seu dispositionem
ad formam.* Vnde significat D. Thomas nullam Ec-
clesiam vti solis illis verbis indicatiui modi, sed
præmittere illa ad explicandam actionem, & inten-
tionem ministri, postea vero subiungere depreca-
tionem. Quod etiam significauit Albertus: & Du-
randus etiam hoc modo interpretari conatur vsum
Ecclesiæ, quamuis rem sub dubio relinquat, Hinc
verò obiter colligo, si quis vtatur hac forma, *Vngote
oleo sancto*, vt D. us tibi remisit quidquid peccasti, &c.
formam esse sufficientem: quia verbo indicatiui
modi adiungitur sufficiens deprecatio, quantum nõ
careret culpa graui illam mutationem efficere ab vsu
Ecclesiæ Romanæ.

Ad secundum responderetur, ex vno, vel alio ver-
bo Scripturæ non sumi sufficiens argumentum ad
colligenda verba substantialia formæ substantialis:
sed vel conferenda inter se sunt diuersa Scripturæ
testimonia, vel adiungenda est traditio, & consue-
tudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ est optima legum
interpretis, præsertim in explicandis tribus sacra-
mentorum. In aliis ergo sacramentis sufficienter
colligenda verba substantialia formæ substantialis:
sed vel conferenda inter se sunt diuersa Scripturæ
testimonia, vel adiungenda est traditio, & consue-
tudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ est optima legum
interpretis, præsertim in explicandis tribus sacra-
mentorum. In aliis ergo sacramentis sufficienter
colligenda verba substantialia formæ substantialis:
sed vel conferenda inter se sunt diuersa Scripturæ
testimonia, vel adiungenda est traditio, & consue-
tudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ est optima legum
interpretis, præsertim in explicandis tribus sacra-
mentorum.

Cur autè potius in hoc sacramento, quàm in aliis sit
forma instituta in hunc modum, multiplex ratio
Theologis redditur. Prima est, quia hoc sacramentum
nullum habet effectum infallibilem, qui non possit
impediri, vel propter obicem recipientis quoad ef-
fectus spirituales gratiæ: vel quia effectus indifferens
qui aliquando non expedit, vt in corporis sanitate,
quæ secus est in baptismo, & Confirmatione: nõ
minimum habent effectum characteris, si substantialiter
perficiantur: & ideo merito dantur per verbum in-
dicatiui, quæ magis declarat actualem efficaciam, quam
verbum deprecatium. Hac ratione vtitur D. Th. per
quã non significat formam huius sacramenti non cõ-
ferre effectum ex opere operato non ponendi obicem:
constat. nõ de hoc sacramento eandem esse rationem
circa hoc quæ de aliis, sed solum intendit huiusmo-
di efficaciam non significari per hanc formam vt actu-
liter exercitã, sicut per alias, propter rationem dictã.
Videtur tamen illa ratio deficere in sacramento pen-
nitentiæ, cuius forma per verbum indicatiui profer-
tur, & tamen nullum habet effectum ita infallibi-
lem, quin impediri possit per obicem suscipientis.

Hæc vero instantia facile excluditur iuxta senten-
tiam, quæ negat dari sacramentum penitentia va-
lidum & informem, iuxta quam D. Thom. citato loco
processisse videtur. Tamen, quia verius credimus
aliquando dari absolutionem validam absque effe-
ctu gratiæ, ideo aliter respondendum est. Equidem
Palud. & Capreol. dicerent, tunc saltem dari orna-
tum. Veruntamen hæc opinio de ornato nobis im-
probabilis visa est. Et præterea eadem ratione ponẽ-
dus esset in extrema vñtionis. Dico igitur in sacra-
mento Penitentia esse peculiarem rationem ob qua
necessa-

necessarius est ille modus formæ, quia profertur per modum sententiæ. Vnde prædicta ratio, seu congruentia intelligenda erit vel respectu aliam formam, vel ita ut locum habeat, nisi aliqua alia peculiaris ratio obstat. Adde etiam potest illam ab solutionem, quæ informis est, & valida, licet nõ auferat peccata in re ipsa, & apud Deum, saltem habere hunc effectum absoluedi hominem in tali foro, ita ut non teneatur amplius confiteri illa peccata. Alia ratio seu congruentia est: quia hoc sacramentum datur homini quasi extremè indigenti, & propriis viribus destituito, qui iam incipit exire à foro Ecclesiæ, & in solius Dei manibus constituitur: & ideo conuenienter in orationibus sacerdotum iuari, Deoq; commendari. Tertia ratio est, & fere in idem redit: quia hoc sacramentum ordinat ad obtinendum per modum indulgentiæ id, quod in iudicio penitentiæ obtineri non potuit per modum iustitiæ, ppter imperfectam hominis satisfactionem vel dispositionem. Vnde, quia homo infirmus, iam est quasi viribus destitutus ad satisfaciendum, ideo exoratur Deus, ut remittat, si quid post sacramentum penitentiæ residuum est. Et per hæc responsum etiam est ad tertium argumentum.

Ad quartum vero dicitur propositionem indicatiui modi formaliter ac proprie non esse orationem, vt per se nouum est ex ipsa verborum proprietate. Quod autem aliquando ita vocetur à Patribus, ideo est, quia dum profertur in fide promissionis Christi, virtute videtur rationem & vim orationis includere: hoc autem non obstat quominus aliquando possit esse necessaria propria & essentialis deprecatio, vbi de tali institutione satis constat, sicut de hoc sacramento ostensum est.

Adhuc vero supersunt nonnulla minutura dubia circa eadem formam. Secundum ergo dubium est, an oporteat in hac forma explicare materiam remotam ex qua fit talis vnctio, sicut in confirmatione dicitur *Confirmo te Chrismate*: Respondeo hoc non esse de necessitate huius formæ, nec de substantia sacramenti, nec de præcepto. Nam licet aliquæ Ecclesiæ in hac forma declarent hanc vnctionem fieri ex oleo sancto, vt supra relatam est: tamen Ecclesia Romana solum dicit, *Per istam sacram vnctionem*, nulla facta mentione olei: ergo certum est hoc non esse de substantia, neque de præcepto. Item in baptismo non est necesse explicare materiam remotam: scilicet aquam, in forma, nisi quatenus continetur in verbo abluendi: ergo neque hic necesse est explicare materiam olei, nisi quatenus in voce vnctionis inuoluitur, præsertim cum sit sermo in particulari de ista sacra vnctione. In sacramento autem Confirmationis occurrit specialis occasio declarandi materiam Chrismatis: quia sine illa verbum, *Confirmo*, aut *Signo*, non satis explicaret materiam proximam, seu actionem ministri, quæ fit per modum vnctionis propriæ illius sacramenti. Quod secus est in præsentis: nam verba illa, *per hanc sacram vnctionem*, sufficienter declarant materiam proximam, & actionem ministri. Hinc tamen colligimus hæc verba substantialia esse, quia formæ sacramentorum semper debent exprimere actionem seu efficaciam ministri. Incertum est autem an singulæ illæ particulae scilicet, *istam*, & *sacram*, sint essentielles, vel sufficiat dicere, *Per istam vnctionem*, vel *vingendo te*, parcat tibi Deus. Et fortasse veris est hæc mutationes non esse substantiales, nihilominus omnino cauendæ sunt: quia non fierent sine graui culpa, tum propter dubium & periculum, tum propter Ecclesiæ consuetudinem.

Idemque dicendum censeo de illa particula, *Et suam piissimam misericordiam*, per quam declaratur virtus diuina, quæ principaliter in hoc sacramento operatur, & in qua nititur deprecatio, quæ per hæc

formam fit, vt D. Thom. supra quæstion. 3. declarat. Indicatque illam particulam esse de substantia formæ, & in solut. ad 2. reddit congruentiam: quia misericordia respicit miseriam: vnde, quia hoc sacramentum datur homini quasi in vltima miseriarum necessitate constituto, ideo in illo veluti contugimus ad diuinam misericordiam, quæ proinde in forma expresse declaratur. Præterea, sicut diximus modum deprecatiuum esse de substantia huius formæ, ita est verisimile esse de substantia explicare diuinam misericordiam, ad quam homo ægrotus contugit, tanquam destitutus viribus ad satisfaciendum. Denique, cum Ecclesia interponat hæc verba inter alia substantialia, videtur certe verisimile etiam ipsa substantialia esse. Quæ rationes vt minimum persuadent esse necessarium (sub graui culpa) illam particulam non omittere, ne à communi Ecclesiæ consuetudine recedatur, & vt omne periculum, & dubium vitetur. An vero in re ipsa particula illa substantialis sit, incertum mihi est quia explicari in forma principalem causam effectus sacramentalis, non solet esse de substantia sacramenti, nisi vbi inuocatio Trinitatis ob specialem aliquam rationem est necessaria. Item quia ipsamet forma deprecatiuæ ex se includit ordinem ad diuinam misericordiam seu inuocationem eius. Præterea de illa particula piissimam, elarius videtur non esse essentialem, & si quis loco misericordiarum poneret, *bonitatem*, vel aliquid simile, certe videtur valida forma, vt si dicatur, *per suam bonitatem, &c.* Denique hoc ipso quod dicitur, *Indulgeat tibi Deus*, actus misericordiarum satis expresse postulatur: ergo in actu exercito per misericordiam petitur, quanuis in actu signato non proferatur: non est igitur certum particulam illam esse essentialem, quanuis sit certum non esse omnittendam.

Maius dubium est, an reliquæ particulae, quibus significatur effectus huius sacramenti, sint de substantia huius formæ. Et in primis est dubium, cur potius petatur remissio peccatorum, quam aliquid aliud. Sed hoc pender ex dicendis in disputatione sequenti de effectu huius sacramenti. Nunc breuiter dicitur, illud exprimi: quia vel inter effectus huius sacramenti ille est præcipuus, vel ne finis præcipue intentus in hoc sacramento propter peccata impediatur.

Sed tunc occurrit secundo inquirendum, cur addatur illa determinatio, *per visum, vel per auditum, &c.* Et ratio difficultatis est, quia impium est à Deo postulare dimidiatam peccatorum veniam. Quod si quis respondeat, licet per singulas partiales formas videatur postulari remissio partis peccatorum, tamen ex omnibus perfici integram petitionem omnium. Contra hoc est: quia homo non solum peccat per quinque sensus: sed etiam per actus mere internos intellectus aut voluntatis. Aliqua etiam sunt peccata externa, quæ non pertinent proprie ad volupratem alicuius sensus, vt sunt vindicta de inimico, & similia. Præterea hinc saltem videtur, probari non esse necessarias illas determinaciones, *per visum, auditum, &c.* quia vel essent necessariae propter effectum explicandum, vel propter indicandam determinatam partem subiecti, in qua faciendæ est vnctio: non primum: tum quia effectus sufficiens, imo & melius explicaretur per illa verba, *Per hanc sacram vnctionem, remittat tibi Deus quicquid peccasti*: tum quia sæpe homo caruit perpetuo tali sensu, vnde per illum peccare non potuit, & ita redditur forma quoad illam partem, vel falsa, vel yana: neque etiam secundum: quia non videtur de essentia huius sacramenti, vt in illis partibus vnctio fiat: Iacobus enim solum dicit, *Vngentes eum*: quod verbum sufficienter completeretur vngendo infirmum in corpore, vel capite, &c. Item sæpe homo caret organo alicuius sensus, vt manibus, &c. Et quanuis

demus

misericordiam, sit essentialis. D. Tho.

Non esse essentialem.

14. Cur potius petatur remissio peccatorum quam aliquid aliud?

15. Cur addatur illa determinatio, per visum, &c.

11. Soluitur quartum argumentum.

12. An debeat in hac forma explicari materiam remotam.

An particula istam & sacram, sint essentielles.

13. An particula suam piissimam misericordiam, per quam declaratur virtus diuina, quæ principaliter in hoc sacramento operatur, & in qua nititur deprecatio, quæ per hæc

demus vñtionem talis partis esse essentialē, non propterea esset necessarium illam exprimere in forma. Nam de essentia Confirmationis est, vt vñctio fiat in fronte, & tamen id non declaratur in forma.

16
Præter verba prædicta nihil aliud esse de necessitate.

Hinc rursus dubium est, an sit de essentia huius sacramenti quinque repetere illa verba formæ cū quinque sensu determinatione, vel sufficiat vnica simplex forma, concludendo tantum. Remittat tibi Deus quidquid peccasti: vel ad summum addendo simul quinque sensus: scilicet, quidquid peccasti, per visum, auditum, odoratum, tactum, vel gustum. Nam rationes factæ suadere videntur hoc posterius sufficere. Et præterea: quia hæc verba semel prolata æquivalent in sensu seu petitione omnibus illis sæpe repetitis. Verumtamen harum difficultatum integra decisio pendet ex his, quæ dicemus de effectu huius sacramenti: & ideo nunc solum dicemus necessarium esse hanc formam proferre eo modo, quo est in vsu & traditione Ecclesiæ Romanæ: hoc enim vt minimum docet Concilium Florentinum in decreto Eugenij dicens, formam esse, Per istam vñtionem, & usque ad illud, per visum, &c. & subdit, & similiter in aliis membris. Item hoc etiam probat vniuersalis cōsuetudo Ecclesiæ. Item, quia est probabile hūc ritum esse essentialē: & vt minimum est res dubia, an sacramentum aliter collatum valeat: ergo saltem est de necessitate præcepti seruare hunc ritum. Quid vñtō dicendum sit de necessitate sacramenti, dicam seq. disputatione.

Tandem addendum est, præter verba prædicta nihil aliud esse de necessitate huius formæ. Hoc est certum, & commune: quia neque ex verbis Iacobi, vel Conciliorum, neque ex vsu Ecclesiæ aliquid aliud habetur: neque ex ratione, aut coniectura aliqua colligi, cum per verba prædicta sufficienter indicentur omnia, quæ ad actionem ministri & effectum huius sacramenti pertinent. Solum dubitari potest de inuocatione Trinitatis, quam aliqui addere solent in fine omnium verborum. Et Palud. & Angelus saltem esse necessariam ex præcepto asserunt. Sed nulla est talis necessitas: quia neq. hoc sacramentum est professio fidei, sicut baptismus neq. in hoc sacramento occurrit aliqua specialis ratio inuocandi Trinitatem in forma. Imò si bene attendatur modus deprecatiuæ formæ, non bene illi accommodatur. Denique neque in Conciliis hoc declaratur, neque in Cæremoniali Romano: neque etiam communis consuetudo id habet: nullum ergo fundamentum est ad asserendam talem præcepti obligationem.

SECTIO V.

De definitione, & vnitatem sacramenti Extremæ vñtionis, eiusque iteratione.

Definitio physica extremæ vñtionis.

EXistis in præcedentibus licet colligere itergram definitionem huius sacramenti: quæ duobus modis confici potest, sicut de aliis sacramentis diximus: scilicet, physico modo, seu ex partibus physicis: & sic dicitur sacramentum hoc esse, vñtionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, vbi præcipue quinque organa sensuum vigent, sub præscripta forma verborum. Quæ tota definitio sufficienter patet ex dictis. In qua solum est aduertendum, quod licet in ea pars materialis ponatur loco generis: quia in rebus artificialibus solet materia de toto artificiali composto prædicari: ipsum tamen sacramentum non est propriè vñctio, nec pro illa sola supponit, sed pro toto composito ex vñctione, & verbis. Vnde proprius compositio ipsum ponetur loco generis, diciturque hoc sacramentum esse quoddam artifi-

cialē ex tali materia & tali forma. Aliter potest dari hæc definitio metaphysico modo ex genere, & differentia, nimirum, esse sacramentum nouæ legi ad confortandum, seu alleuandum in animo, & corpore fidelem grauius egrotantem, institutum. Cuius definitionis genus satis constat ex dictis, vbi ostendimus hoc esse vnum ex sacramentis nouæ legi. Differentia vero sumpta est ex verbis Iacobi s. Et oratio fidei alleuabit infirmum, & si in peccatis est, dimittentur ei. Posita autem à nobis est illa particula ita in generali, vt abstrahamus ab opinionibus: quia definitiones esse debent quasi communes conceptiones: exacta vero illius particule intelligentia pendet ex his, quæ de effectu huius sacramenti in sequenti disputatione dicemus. Alij vero vtamque definitionem miscent, dicentes, Extremam vñtionem, esse sacramentum ex sacra vñctione olei, & prece sacerdotis confectum, & ad salutem mentis, & corporis egrotantis hominis diuina institutione ordinatum. Quæ tota definitio ex aliis sufficienter constat: completitur vero fere omnes effectus & causas huius sacramenti, de quibus patet in discursu materiz dicturi sumus.

Secundo colligitur ex dictis, sacramentum hoc esse vnum & specie, & numero. Primum constat, quoniam hoc sacramentum ex eadem materia & forma semper fit: & ad eundem finem seu effectum semper ordinatur: semper ergo est eiusdem speciei. Vnde & eandem definitionem essentialē semper habet, vt visum est. Præterea supra ostendimus, quando Concilia definiunt tantum esse septem sacramenta nouæ legi, intelligendum id esse de speciebus vltimis sacramentorum. Est autem hoc vnum ex septem sacramentis nouæ legi: est ergo vnum in essentia seu specie vltima: & ita hæc pars certa est, neque habet vllam rationem dubitandi. Circa vnitatem vero numericam aduertendum est, non ita esse vnum, vt saltem in diuersis personis non possit secundum numerum multiplicari: nam per se constat esse diuersa indiuidua sacramenta, quæ diuersis personis tribuuntur: vnde hæc multiplicatio numerica omnibus sacramentis communis est. Duobus ergo aliis modis potest dici hoc sacramentum esse vnum tantum numero in eodem subiecto: scilicet, compositione, & quia iterabile non est.

Circa priorem modum difficultas est, an hoc sacramentum quando semel confertur, sit vnum tantum, vel multiplex. Et ratio dubitandi est: quia in hoc sacramento conficiendo interuenit multiplex vñctio, & multiplex etiam forma: ergo ex singulis vñctionibus, & singulis formis, quæ in illas cadunt, conficiuntur singula sacramenta integra, vt potest ex propria forma, & materia constantia, & forasse proprios effectus habentia, vt infra disputabimus: ergo interueniunt ibi plura sacramenta numero distincta. Nihilominus tamen dicendum est, ex illis omnibus confurgere vnum numero sacramentum, quod vocamus vnum compositione: quia ex omnibus illis vñctionibus, & formis siue essentialibus omnes sint, siue non, vnum tantum integrum sacramentum componitur: quia omnes illæ vñctiones ad integram totius hominis vñtionem, quam institutio exigit, ordinantur: et omnes illæ formæ deprecatiuæ tendunt ad completum effectum obtinendum. Vnde, licet daremus (quod incertum est) per vñtionem vnus sensus sub propria forma statim dari aliquem gratiæ effectum; nihilominus sacramentum esset vnum ex omnibus actionibus compositum, quia ille effectus non est integer, neq. sufficiens ad confortandum, vel alleuandum infirmum quantum indiget vel indigere potest. Et confirmatur: nam multitudo materiarij, & formarum non sufficit ad multiplicandū numero sacramenti.

si omnes illae materiae, & formae ad artificiosam compositionem vnus adaequati signi referuntur, vt in Eucharistia videre licet: imo neque etiam multiplicatio effectuum satis est, si etiam tales effectus ad eundem proximum finem, atque adeo ad vnum totalem, & integrum effectum referuntur, vt suo modo videre etiam licet in Eucharistia: nam singulae formae efficiunt singulas consecrationes. In sacramento etiam poenitentiae satisfactio postea completa nouum confert effectum, praeter quem quem contulit absolutio, & tamen vnum, & idem cum illa constituit sacramentum. Clarius vero id cernitur in sacramento Ordinis: nam in singulis ordinibus proprii effectus characteris, & gratiae conferuntur, & nihilominus vnum ex omnibus coalescit sacramentum integrum, iuxta veriorum doctrinam, vt suo loco videbimus. Atque haec sententia communis est Scholasticorum in 4. dist. 23. vbi, praesertim D. Thom. q. 1. art. 1. q. 2. Palud. q. 1. art. 3. Soto & reliqui, & Summistae etiam omnes. Fauet etiam communis modus loquendi, & sentiendi Conciliorum, & totius Ecclesiae, semper enim de hoc sacramento tanquam de vno loquuntur: non est ergo quod de hoc dubitemus, & ratio in contrarium facta, soluta iam est. Addit vero Ledes. 2. p. 4. q. 3. art. 2. nihilominus facta vna vnctione sub sua forma, iam posse dici esse sacramentum: quia res successiua dicitur esse statim ac vna pars eius existit: sed hoc ad modum tantum loquendi spectat: nam statim addit, per illam vnctionem non dari gratiam vsque ad vltimam. Imo etiam subiungit, si aliae vnctiones non sequantur quocumque casu, illam priorem non esse simpliciter sacramentum. Quare melius dicemus simpliciter, ac semper sacramentum nondum esse, donec omnes vnctiones essentielles factae sint: quia (vt alibi dixi) sacramentum non dicitur vnquam rem successiuam, sed consummatam & perfectam.

Positne sacramentum iterari.

Circa aliud punctum dubitari potest, an hoc sacramentum sit ita vnum in eadem persona, vt etiam successiue, seu per iterata collationem multiplicari non possit, sicut baptismus dicitur esse vnus, vel confirmatio vna. In quo in primis supponendum est, per hoc sacramentum non imprimi characterem. Quae est certa & communis sententia Theologorum dicta dist. 23. satisq; insinuat in Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. docente per tria sacramenta, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimi characterem: nam, licet expresse non addat exclusiuam, tamen ex modo tradendi completam doctrinam sufficienter colligitur. Expressis vero concilium Florentinum in Decreto Eugenij addidit quatuor alia sacramenta characterem non imprimere: vnde constat partem hanc esse de fide certam. Ratio vero congruentiae reddi potest: quia per hoc sacramentum non deputatur homo ad speciale statum huius vitae, nec consecratur ad speciale munus, sed solum curatur, seu adiuuatur in speciali necessitate, ex infirmitate corporis proueniente, & ideo nulla est necessitas characteris impressi per hoc sacramentum. Dices, etiam per confirmationem non videtur homo specialiter consecrari, aut deputari ad aliquod munus, sed iuari tantum ad fortiter confitendam fidem, quando necesse sit. Respondetur per sacramentum Confirmationis Christianam militem veluti armari & consignari ad pugnandum pro fide, & occurrentes difficultates superandum, & ita quoad hoc constituitur in quodam statu, qui pro toto tempore vitae durat, nam haec Christiana militia semper durat, eiusq; difficultates & occasionem varie sunt, sepeq; occurrere possunt, ideoque semel tantum praeparatur homo illo sacramen-

Er. Suarez, tom. 4.

to, & ratione illius ei semper confertur auxilium, quoties occasio occurrit, tanquam perfecto militi ad hoc opus consignato. Hoc vero sacramentum Extremae vnctionis solum confertur per modum medicinae, quae tempore aegritudinis applicari solet.

Hinc ergo fit, vt sacramentum hoc simpliciter, & absolute sit iterabile, quod de quatuor sacramentis expresse docuit Concilium Florentinum, & specialiter Tridentinum sess. 14. c. 3. de hoc sacramento. Sic enim corporalis aegritudo in eodem homine iterari potest, ita etiam & hoc sacramentum saepius dari, quia in noua aegritudine nouo indiget auxilio: quod non datur ex vi prioris vnctionis in alio morbo susceptae, quia illa tantum data fuit ad illius morbi curationem, & leuamen, debet ergo hoc sacramentum iterari quoties homo in simile periculum iterum, atque iterum incidit.

Hinc vero intelligi potest, secundum quid, seu durante eiusdem morbi necessitate, sacramentum hoc non posse iterari, non quia etiam pro tunc characterem imprimat: sed quia deficiente est sufficiens medicina pro tali necessitate, ratione cuius & auxilium spirituale pro illa sufficiens, & sanitas etiam corporis, si oportuerit conferretur. Dico autem, durante eadem morbi necessitate, & non absolute, durante eodem morbo, quia in eodem morbo, si necessitas & periculum iteretur, poterit etiam sacramentum iterari, vt si morbus esset diuturnus, & prius hominem constitueret in graui periculo mortis, postea vero remitteret morbi vis, ita vt homo censeretur esse extra mortis periculum, non tamen omnino a morbo liber, & in eo statu aliquandiu duraret, postea vero in simile periculum iterum incidere, posset iterum inungi. Hoc docuit Albertus Magnus in 4. d. 23. art. 21. quauis cum magna formidine & limitatione, solum enim loquitur de morbis, quos chronicos appellat: quia nunquam recedunt, vt sunt ethica, paralytis, & similia: & in his addit conditionem, Si vltra annum durat morbus post acceptam vnctionem.

Palud. Danus vero q. 4. n. 3. generaliter id affirmat de quocumque infirmitate diuturna, & quotiescunque ex tali infirmitate homo deducitur ad periculum mortis. Et hanc sententiam sequuntur frequentius Summistae, Sylu. verb. Vnctio extrema. §. 8. Tabiena, Sylu. Armilla & alij, & Victoria in Sum. n. 224. Ac denique est aperta sententia D. Thom. dist. 23. qu. 2. arti. 4. qu. 2. qui optimam rationem insinuat: quia hoc sacramentum non respicit infirmitatem vt hic, sed infirmitatis statum: & ideo non datur euilibet infirmo: sed in periculo mortis constituto, vt infra dicemus: quoties ergo status infirmitatis iteratur, est sufficiens causa iterandi hoc sacramentum, etiam si infirmitas non omnino cessauerit, seu interrupta fuerit.

Ex hac autem ratione constat, necessarium esse status illos aegritudinis per aliquam diuturnam morbo interrupti, ita vt secundum communem estimationem diuersi censeantur. Friuolum autem est vnus anni interruptionem postulare: quia intra illud tempus caelestium corporum, praesertim Solis reuolutio perficitur, vt Albertus philosophari videtur: quid enim hoc refert ad sacramenti necessitatem, vel dignam administrationem? Alij vnus mensis tempus assignant, voluntario magis arbitrio, quam certa ratione. Paludanus pro regula assignat, quoties probabile est in noua peccata venialia incidisse: iuxta quam regulam nihil aliud expectandum videtur, nisi quod homo simpliciter dici possit euasisse prius periculum, ita vt medicorum, & prudentium iudicio censeatur esse liber ab illo aegritudinis statu: nam si postea iterum recidat, etiam in illo medio statu breui tempore durauerit, poterit iterum inungi: nam in quolibet breui tempore timeri possunt noua peccata, praesertim venialia. Quia vero praecipua ratio suscipiendi hoc sacramentum non est pec-

D. Tho. Palud. Soto.

Per hoc sacramentum non imprimi characterem.

Trident.

Obiect.

Dilatio.

Sacramentum hoc esse iterabile. Trident.

Durante eodem morbi necessitate non possit iterari.

Alber. Mag.

Palud.

Sylu.

D. Thom.

Oportere in diuturnam interrupti.

Alber. et Pal placita reprobantur.

eatorum venialium remissio, vt infra dicemus, ideo etiam hæc regula non est admodum certa, ideoque prudenti arbitrio hoc relinquendum est, vt nimirum considerata diuturnitate ægritudinis, & statuum eius, & interruptionis eorum inter se, practica, & communi existimatione illa censeantur diuersa pericula & status ita diuersi, vt perinde se habeant ac si essent morbi omnino distincti.

DISPVATIO XLI.

De effectu & fine huius sacramenti.

Hæc sacramentum conferre gratiam sanctificans.



Explicita essentia huius sacramenti, superest dicendum de causis, & effectibus eius. Incipimus autem à finali causa, quoniam prima omnium est, & quia cum effectu, & re significata per hoc sacramentum coincidit, ex quibus exactior eius intelligentia pendet. Supponimus ergo in primis habere hoc sacramentum effectum illum, qui communis est omnibus sacramentis noue legis: scilicet, gratia sanctificans: cum enim ostensum sit hoc esse verum sacramentum noue legis omnia, quæ his sacramentis communia sunt, in illud conuenire necesse est: & ideo de his nihil hoc loco amplius dicemus, sed applicanda hic erunt, quæ de sacramentis in genere sunt dicta. Sed inuestigandus à nobis erit proprius, & sacramentalis effectus huius sacramenti: & quia vnumquodque sacramentum, quatenus tale est, propter huiusmodi effectum est principaliter institutum: ideo simul proprium finem institutionis huius sacramenti declarabimus. Est autem peculiare huic sacramento, quod præter spirituales effectum animæ, habet etiam effectum salutis in corpore: & ideo prius de spirituali tanquam de principali: postea vero de corporali dicemus.

SECTIO I.

Quis sit proprius effectus sacramentalis gratia sacramenti Extreme vnctionis.

Prima sententia affirmat hunc effectum esse remissionem venialium peccatorum. Est valde communis in 4. d. 23. vbi etiam tenet Bonauent. art. 1. q. 1. Richard. 2. q. 5. & 6. Durand. quæstion. prima num. 9. Supplementum Gabr. quæstione secunda, capite secundo, Maior quæstione prima & idem sententiæ Carthus. quæst. 2. Scot. & Almain. quæst. vnica Alen. 4. part. quæst. 5. membr. 7. artic. 2. Aristod. li. 4. Summ. c. de Extrema vnctione, quæst. 1. Astenfis lib. 5. Summæ tit. 41. ar. 5. Abulen. super 8. cap. Matt. quæst. 8. Albertus Pigijs Controu. 10. Ayala de Tradit. 3. p. considerat. 8. Denique Nauarr. cap. 22. n. 13. dicit, hoc sacramentum principaliter esse institutum in remissionem peccatorum venialium, iuxta communem sententiam in ca. Romanorum, d. 19. & in ca. Solutæ, de Maiorit. & obed. Potestque hæc sententiæ fundari: quia hoc sacramentum primario institutum est ad remissionem peccatorum & non mortalium, ergo venialium. Maior constat à verbis formæ, nihil enim magis explicat proprium effectum vniuscuiusque sacramenti, quam eius forma: quia sacramentum efficit quod significat, & significatio per formam maxime determinatur, & exprimitur. At vero per formam huius sacramenti directe solum postulatur remissio peccatorum: ergo hic est effectus primarius, propter quem institutum est hoc sacramentum.

Bernard.

Trident.

Vnde D. Bernard. in vita Malachie, referens sanctum illum cuidam femine ægotanti hoc sacramentum ministrasse, addit hæc verba: *Sciens in hoc sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei saluet infirmum.* Et Concil. Trident. sess. 14. ca. 2. inter effectus huius sa-

cramenti hunc primo loco ponit. Minor autem propositio subsumpta probatur primo: quia propter mortalia tollenda institutum est sacramentum penitentiæ, & duo sacramenta non instituitur propter eundem finem: maxime cum sacramentum penitentiæ positum sit tanquam necessarium medium ad remissionem mortalium peccatorum. Vnde confirmatur: quia tria sunt peccatorum genera, originale, mortale, & veniale: sed ad delendum originale per se primo institutum est baptismus, ad tollendum mortale instituta est confessio: ad tollendum ergo veniale, aliquod sacramentum per se institui debuit, sed non aliud ex cæteris, vt per se facile constat ergo huiusmodi est Extrema vnctio.

In modo autem explicandi hanc sententiam est diuersitas inter prædictos auctores. Nam quidam eorum asserunt hoc sacramentum non delere peccata venialia, nisi excitando actum displicentiæ, vel amoris, qui sit sufficiens forma, vel dispositio ad expellenda talia peccata: quia cum sint actualia, & per conuersionem voluntatis commissa, non possunt nisi cõterario motu deleri. Eatenus ergo sacramentum hoc institutum dicitur ad remittenda hæc peccata quatenus virtute illius, & ex opere operato datur homini sufficiens auxilium, quo possit elicere motum expellentem venialia peccata. Ita fere Dur. Bonau. & insinuat Viguer. in Summ. c. 16. §. 5. vers. 4. Alij simpliciter asserunt sacramentum hoc remittere hæc peccata per se & immediate, dummodo homo non habeat obicem, id est, complacentiam actualem, vel virtuales in tali peccato, etiam si non habeat dispositionem per se sufficientem ad expellendum tale peccatum, nec sacramentum illam excitet: quia satis est, quod gratiam conferat, ex diuina institutione ordinatam ad hunc effectum remittendi tale peccatum. Et qui ita sentiunt, magis consequenter loquuntur, vt recte significauit Palud. dist. 23. quæst. 4. numero 7. & ibi Capr. quæst. 1. ar. 3. ad 2. 4. & 5. contra 2. conclusionem. Et facile intelligi potest ex his, quæ supra diximus de remissione venialium peccatorum, & in sequentibus etiam exponemus.

Circa hanc ergo opinionem totam aduertendum est, aliud esse inquirere, an hoc sacramentum deleat venialia peccata, & quando aliud vero an sit primario ad hunc finem institutum. Illud ergo prius à nemine negari potest, probaturque optime argumens recitata sententiæ, & in sequentibus confirmabitur. Posterius vero est de quo nunc agimus. Et quoad hoc merito reprehendit hanc sententiam D. Thom. 4. dist. quæst. 1. artic. 2. quæst. 1. quem sequitur ibidem Paludan. quæst. 4. Capreol. quæst. 23. articulo. 1. Soto quæst. 1. artic. 2. Ledesin. 2. part. 4. quæst. 32. art. 1. Viguer. supra, Ferrar. 4. Contra gent. capit. 73. Victoria in Summ. numero 197. Rationes sunt. Prima: quia sacramentum penitentiæ est per se institutum ad remissionem venialium peccatorum, quanquam enim non sit ita necessarium medium ad tollenda venialia sicut mortalia, tamen ita delet illa per se & ex vi suæ institutionis, sicut mortalia, sicut enim hæc duo valde distincta, vt per se patet, & auctores dictæ sententiæ fateri tenentur: nã licet dicant, Extremam vnctionem esse per se primo institutã ad remissionem venialium peccatorum, non tamen dicunt, nec dicere possunt esse medium necessarium ad illa tollenda. Nam, vt sit medium necessarium, oportet vt sit causa vnica talis effectus, vt vero sit per se institutũ, satis est quod sit causa per se, & ex propria institutione habens virtutem ad hunc effectum: potest autẽ esse causa per se, licet non sit vnica, nec necessaria, vt per se notum est. Sacramentum ergo penitentiæ per se institutum est ad remissionem venialium: quia illa sunt sufficiens materia confessionis, & per se ac directe tolluntur per sacramentalem absolutionem: ergo non oportuit aliud sacramentum